

illud privilegium non pendet in suo effectu a notitia Episcopi, et idem est cum proportione de quocumque alio tertio.

29. *Obiectio.*—*Responsio.* — Dices: hac ratione probaretur, ex parte privilegiati neque acceptationem requiri, quia reservatio casuum, verbi gratia, valida est et habet effectum, etiam non acceptante, vel repugnante subdito ejus casus reservantur; ergo similiter exemptio erit valida, motu proprio facta, etiam ignorante exempto. Respondeo non esse simile; nam reservatio casuum non habet rationem favoris, sed rigoris et odii, et non fit in favorem subditi proprie loquendo, sed potius cum onere ejus propter commune bonum, et ideo non spectatur consensus ejus. Quamvis, ut prudenti modo fiat reservatio, notificanda sit subdito, quantum est ex parte superioris, antequam habeat effectum, ut vitentur incommoda quæ alias sequi possent, quod sufficienter fit per publicam promulgationem, seu publicationem cum tempore sufficiente ut ad omnium notitiam deveniat, quia fertur per modum legis, aut generalis præcepti irritantis, quod non oportet singulorum auribus intimari, ut suum effectum habeat. Exemptio autem conceditur in favorem privilegiati, et ideo priusquam effectus acquiratur, debet ab eo acceptari, saltem per nuntium vel instrumentum; hæc autem acceptatio sufficere sine alia notitia ejus. In ipso autem ordinario, a quo fit exemptio, ut privetur a jurisdictione in talem personam, neque notitia vel consensus ejus postulatur aut expectatur.

30. *Ultima sententia approbatur.*—*Utilitas privilegii ante acceptationem, ad revocanda contraria illi a tempore concessionis.* — Hæc ergo ultima sententia probanda videtur. Nam de priori parte (scilicet, quod in hoc privilegio ad valorem et effectum sufficiat acceptatio in absentia per tertium) videtur esse eadem ratio quæ de aliis privilegiis positivis seu concedentibus aliquam potestatem, imo major, quatenus facilius est eximere vel tollere onus, quam dare aliquid de novo: et alioqui cessat in hoc genere privilegiorum moralis occasio abusus cum periculo violandi aliquam legem, quia per hæc privilegia non conceditur dispensatio in aliqua lege, sed tantum intenditur ablatio jurisdictionis in uno, per quam resultat exemptio in alio. Et licet verum sit necessariam esse notitiam sufficientem in privilegiato, ut possit licite uti sua exemptione, non parendo alteri, vel contemnendo censuram ejus; nihilominus non est morale periculum abusus concess-

sionis privilegii, etiamsi sit valida ex vi acceptationis tertii; potest autem esse valde utilis ad revocanda omnia contra privilegium facta a tempore concessionis. Sicut si Papa concedat absenti collectionem et utilitatem alicujus partis decimarum, et per procuratorem privilegium acceptet, licet non possit exigere decimas, nec privilegio uti ante notitiam ejus, nihilominus post notitiam habitam poterit exigere omnia a tempore concessionis ex tunc factæ, si de mente Pontificis satis constet. Altera vero pars, quod, scilicet, in iudice vel tertio non requiratur notitia, videtur ita expressa in dict. cap. 1 de Concess. præbend., ut negari non possit. Eam tamen intelligendam puto, quando iudex non petiit ostensionem privilegii, et sufficiens tempus elapsum est in quo posset illius notitiam consequi, et per illum stetit vel casu accidit ut non haberet, et sic cessant conjecturæ et jura quæ in contrarium afferebantur.

## CAPUT XXVI.

AN UBIQUE POSSIT QUIS LICITE SUO PRIVILEGIO UTI, ET PRÆSENTIM EXTRA TERRITORIUM CONCEDENTIS.

1. *De circumstantia loci in privilegiis.* — *Duplex sensus questionis.*—*Pontifex concedit privilegium pro omni loco.* — Diximus de circumstantia temporis; dicendum sequitur de circumstantia loci, quæ in legum observatione maxime necessaria est. Potest autem locus dupliciter ad privilegium seu ad illius usum comparari. Primo, ex parte objecti, seu actus concessi per privilegium; secundo, ex parte personarum, vel concedentis, vel cui conceditur privilegium; et ita duplex esse potest sensus questionis. Prior est an, privilegio concessio pro uno loco, liceat in quolibet alio; alter est, an privilegiarius possit licite uti privilegio, sibi absolute concessio, extra territorium sui superioris concedentis privilegium. Et quidem quæstio, in priori sensu, in solo Pontifice et privilegiis ejus videtur habere locum, quia solus ille habet ubique jurisdictionem; et ideo solus ille potest per se, et ex parte objecti, ut sic dicam, concedere privilegium pro omni loco; potest tamen cum proportione quæstio tractari, et resolutio ejus accommodari ad Prælatos inferiores pro suis diocesisibus, et ad reges pro suis regnis, sumendo particulam *ubique*, cum proportione intra terminos uniuscujusque principatus. In

posteriore autem sensu quæstio non habet locum in privilegiis pontificiis, sed in aliis, quia Pontifex non habet limitatum territorium, sed totum orbem complectitur, ut Pontifex est. Potest tamen illi aliquo modo accommodari, et ideo priorem quæstionem resolvemus directe circa Pontificem, et per accommodationem de aliis; in posteriori vero contrarium ordinem tenebimus.

2. *Privilegium a Pontifice concessum ubique valet, si absolute concedatur.* — Circa priorem ergo quæstionem, dicendum est privilegium a Pontifice concessum simpliciter, et sine determinatione ad certum locum, ubique valere, et licitum esse ubique illo uti, nisi aliud constet de mente concedentis. Probatur assertio cum suis limitationibus. Quia concessio indefinita, procedens ab habente universalem potestatem, universalis est, si ab ipso concedente non limitetur, vel determinetur ad aliquid particulare; sed potestas Pontificis universalis est ad concedendum privilegium pro omni loco; ergo, si absolute concedit, et non limitat locum expresse nec ex circumstantiis, tale privilegium universale est ex parte locorum. Minor cum consequentia notæ sunt. Major autem est quasi axioma, et receptum principium juristarum, quod in legibus indefinita locutio æquivalet universali; tum quia est quasi doctrinalis, tum maxime quia alias esset ambigua et incerta, ac subinde inutilis, quia non esset major ratio determinandi dispositionem legis ad hoc particulare quam ad aliud, ut manifeste constat in præsentem; cur enim tale privilegium, indefinite loquens de locis, vel nullam mentionem de loco faciens, magis determinabitur ad hunc locum quam ad alium? Hinc enim etiam manavit vulgare pronuntiatum, quod ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, utique sine alia lege limitante, vel sine cogente ratione, utique quia indistincta locutio legis de se universalis est. Denique hac ratione privilegium concessum sine limitatione temporis censetur perpetuum, ut supra vidimus.

3. *Privilegium pro certo loco concessum pro illo solum valet.* — *Determinatio loci ex parte objecti et ex parte subjecti notanda.* — Prima vero limitatio, seu conditio, de se manifesta est: nam tenor privilegii servandus est; ergo si privilegium ex parte materiæ et objecti ponit determinatum locum, pro illo solo potest valere, sicut ponens determinatum tempus pro illo tantum valet, et loquens in materia determinata circa illam tantum dat potesta-

tem. Et hac ratione, si Pontifex concedat privilegium ad habendas duas præbendas in tali Ecclesia, non poterit quis, virtute talis privilegii, habere duas similes in alia Ecclesia. Item, si alicui daretur privilegium ad audientias Missas in suo episcopatu tempore interdicti, non posset illam audire in alio episcopatu interdicto. Sic privilegium Papæ ad concedenda lacticia et ova diebus prohibitis in Hispania, non extenditur ad Italiam, vel Galliam, et sic de aliis. Sicut enim privilegium locale non extenditur ab uno loco ad alium, nec personale ab una persona ad aliam, ita nec privilegium personæ datum pro certo loco, potest illi valere ad utendum eo in alio loco, quia tale privilegium est veluti locale simul et personale respective; quia sicut non conceditur nisi pro tali persona, ita nec conceditur illi, nisi pro tali loco. Oportet autem diligenter advertere an determinatio loci ponatur ex parte objecti, vel ex parte subjecti; aliud est enim privilegium concedi tantum pro hominibus Hispaniæ, aliud vero concedi pro usu Hispaniæ, seu in Hispania; et in priori sensu non arctatur privilegii usus ad Hispaniam, sed solum ad Hispanos, qui ubique poterunt illo uti, nisi aliud obstat; quia, cum sit privilegium personale, cum persona incedit, et quia, cum determinatio loci non cadat in usum, quia non ponitur ex parte objecti, universalis est ex parte locorum juxta regulam positam. Dico autem *nisi aliud obstat*, propter limitationem sequentem.

4. *Mens concedentis etiam limitat privilegium.* — *Regula ad mentem concedentis indaganda.* — *Bulla Cruciate quomodo dat Hispanis licentiam comedendi lacticia.* — Secunda limitatio etiam vera est, quia privilegium non habet efficaciam, nisi ex mente et intentione concedentis; ergo si mens illius est non concedere usum privilegii, nisi pro certo loco, non est licitum illo uti extra talem locum. Item, si hæc limitatio esset expressa per verba superioris, non liceret aliter privilegio uti, juxta priorem limitationem; ergo idem est, quacumque alia ratione constet de mente concedentis, quia mens conjecturata non minus efficax est quam expressa, quando conjectura moraliter sufficiens est. Est autem hæc limitatio cognitu difficilior quam prior, quia non continetur in ipsis formalibus verbis concessionis, sicut prior, et ideo necessarium est hic uti regulis generalibus in sequentibus capitulis tradendis de interpretatione privilegiorum, et illas cum proportione ad locum



accommodare, scilicet, ut considerentur supplicatio, et materia ejus, et connexio sequentium cum antecedentibus, ut inde conjiciatur an ad aliquem locum determinetur concessio. Præcipue vero spectandum est ad rationem principaliter moventem, et dantem causam justam concessionis. Nam si illa sumpta est ex propria circumstantia talis loci, probabile valde est pro tali tantum loco privilegii usum concedi, etiamsi expresse non fiat in illo determinatio. Quod dubium moveri solet in Bulla Cruciatæ, quatenus dat Hispanis facultatem comedendi lactinia; quamvis enim fortasse non ponat expresse illam determinationem ex parte actus, id est, quod in Hispania possint illa comedere, nihilominus probabile est hanc esse mentem Pontificis, quia ratio talis concessionis ex peculiari circumstantia loci sumitur, scilicet, ex penuria piscium, qua illa provincia laborat; sicut si daretur hominibus alicujus provinciæ privilegium conficiendi Sacramentum in solo pane propter penuriam vini, eo ipso censeretur limitatum ad locum provinciæ, potius quam ad personas, licet expresse id non diceretur, quia causa ipsa limitat et determinat locum; quod gratia tantum exempli dictum sit.

5.  *Applicatio doctrinæ ad prælatos inferiores. — Potestas imperatoris quomodo se extendat in privilegiis concedendis. — Tandem ex his facile est præsentem doctrinam ad inferiores Prælatos aut principes applicare: nam universalis seu totalis locutio quoad loca in illis erit, quæ comprehenderit totam uniuscujusque diœcesim, territorium, aut regnum, nec enim extra illa possunt directe operari, seu jurisdictionem suam per se exercere. Sic ergo uniuscujusque concessio indefinita quoad loca censenda erit universalis respective, cum eisdem declarationibus, et propter easdem rationes; est enim eadem consecutio doctrinæ, nec aliquid speciale occurrit, quia jus positivum nihil circa hoc statuit, et ex natura rei nulla diversitatis ratio invenitur. Solum potest adverti, in rege habente plura regna per se non unita, sed tantum ex accidente in una persona, an, cum concedit privilegium absolute, loquatur ut rex unius vel alterius regni: nam tunc concessio illa erit universalis pro regno illo, et non pro aliis. Quomodo autem loquatur ex tenore privilegii constabit. Idemque cum proportionem adverti potest in inferioribus principibus vel dynastis habentibus plures provincias, vel dominia, seu titulos comitum, marchionum, etc.; item in Præ-*

lato Ecclesiæ habente plures Episcopatus; in unoquoque enim spectandum est, sub qua ratione loquatur: nam tali etiam dominio vel jurisdictione utitur, et secundum illam determinandus erit locus. Secus vero erit in imperatore, ut imperator est; ille enim pro ditione habet totum imperium, et ad totum illud extendi poterit privilegium. De ipsa autem ditione imperii aliter hodie censendum erit, quam antea, quia multum hodie diminutum est proprium territorium imperatori subjectum; semper tamen cum proportionem intelligendum erit privilegium de terris subjectis imperio. Et quidpiam simile considerari potest in Archiepiscopo, vel Patriarcha: nam regulariter privilegia ab eis concessa non exeunt proprium episcopatum, quia extra illud non habent immediatam jurisdictionem. Si tamen aliqua privilegia concedere possunt, ut Archiepiscopi, vel Patriarchæ, ad summum extendi poterunt intra fines archiepiscopatus, vel patriarchatus, et tunc oportebit ut satis declarent qua utantur potestate.

6.  *De valore privilegii extra territorium concedentis. — Status questionis generalior aperitur. — Jam vero occurrit quæstio in altero sensu declarato, quem attingit Rebuff. in Concord., tit. Forma mandati, verb. Dispensatione, ubi quærit an dispensandus per legatum, ad obtinenda plura beneficia, possit ea obtinere extra territorium legationis, et refert Decium, col. 207, affirmantem. Ipse vero contrarium docere videtur in principio; postea vero distinctione utitur, per quam cum Decio plane consentit, ut infra dicam. Eademque attingit Navar. in Consiliis, t. de Privileg., cons. 6, in posteriori editione, et 15, in prima, non in generali de privilegiis, sed in speciali de privilegio legendi libros vetitos, an valeat extra territorium concedentis. Quam quæstionem ibi non resolvit, sed propositis hinc inde argumentis indecisam relinquit: tamen quia posteriori loco ponit argumenta suadentia valere, videri potest in hanc partem inclinasse. Auctor vero cujusdam Scholii advertit consilium non inveniri integrum, et ita non posse pro alterutra parte allegari, ipse vero probabilius existimat non valere. Mihi tamen, generalius materiam tractando, distinctione utendum occurrit. Actus enim pro quo datur privilegium potest esse prohibitus in alio episcopatu per proprium statutum, vel consuetudinem illius, aut saltem potest esse dependens a voluntate alterius Episcopi, ut ibi licite vel valide fiat; vel potest esse in-*

differens, et independens ab alio prælato, et non prohibitus per particulare statutum alterius diœcesis, nec per generale præceptum Ecclesiæ, sive sit prohibitus particulari lege territorii, aut Episcopi concedentis, sive non; hoc enim nihil refert, nec variat resolutionem, ut videbimus. Aut denique actus est generaliter prohibitus lege communi Ecclesiæ, cadens tamen ex justa causa sub dispensationem Episcopi, ut est opus servile facere in die festo, comedere carnes in die prohibito, et similes. Nam si actus non sit dispensabilis per Episcopum, non poterit privilegium dare in tali materia, juxta doctrinam supra traditam, quia necesse est ut tale privilegium dispensationem contineat.

7.  *Vis privilegii ab uno Episcopo vel principe in alieno territorio. — Dico ergo primo: privilegium datum ab uno Episcopo, et respective a quocumque particulari principe, dispensando in aliquo speciali jure sui territorii vel regni, non potest valere ad operandum in alieno aliquid in eo prohibito per simile speciale statutum illius loci. Probatur, supponendo peregrinos, dum versantur in alieno territorio, teneri ad servandas proprias consuetudines et statuta illius territorii in quo adsunt, quando sunt communia toti populo, vel personis omnibus ejusdem conditionis, vel status. Hinc enim fit ut, licet aliquis in proprio episcopatu privilegiatus sit ad similem actum ibi prohibitum per suum Episcopum, non possit uti illo privilegio in altero episcopatu. Probatur, quia privilegium unius Episcopi, non potest derogare præcepto alterius Episcopi vel jurisdictioni ejus: illa autem obligatio provenit ex alieno præcepto, et ex jurisdictione alterius Episcopi; ergo tale privilegium non potest prævalere contra illam. Deinde (et fere in idem redit) ille privilegiarius, dum versatur in alieno territorio, non se gerit ut incola sui episcopatus, nec ut subditus sui originarii Prælati; ergo non potest se gerere ut privilegiatus a suo Episcopo, sed ut subditus pro tunc alteri; ergo non potest uti privilegio contra legem territorii. Tandem confirmatur inductione: nam si quis, habens in Hispania privilegium ad ferenda arma prohibita per leges regni, vel simpliciter, vel in tali tempore, ut nocte, vel in tali loco, etc., vellet illo uti in Gallia, non permitteretur, sed armis privaretur, vel alias poenas incurreret, nisi talia privilegia sint per proprium principem territorii acceptata, ut ubique observari videmus, et merito: nam illi qui in proprio territorio, per se et sine*

privilegio, non tenentur aliquid observare, quia ibi non est præceptum aut prohibitum, alibi degentes tenentur loci statuta servare; ergo multo magis ille qui tantum ex privilegio liber est a simili obligatione in proprio territorio, obligatur propriis statutis alterius territorii, dum in illo versatur, si in illo privilegium non habet, nec quod alibi habet; ibi acceptatum est a proprio superiore illius territorii.

8.  *Infertur primo: libri prohibiti quomodo legendi ex privilegio. — Ex quo infero, in casu illo particulari a Navar. proposito, non posse aliquem uti privilegio legendi libros prohibitos, sibi concessos a supremo senatu unius territorii, in alio territorio, ubi est speciale statutum, circa prohibitionem librorum, latum a supremis iudicibus illius territorii seu regni. Ut est clarum exemplum in Castella et Lusitania, quia habens tale privilegium speciale ab inquisitoribus Castellæ non poterit uti illo in Lusitania, nec e converso, quia unumquodque statutum obligat in suo regno, nec aliquod illorum derogari potest pro tali loco, ab eo qui jurisdictionem ibi non habet. Item, est hoc manifestum quoad libros prohibitos, verbi gratia, in Lusitania, et non in Castella; quomodo enim potest inquisitor Castellæ dare facultatem ad legendum in Lusitania libros ibi specialiter prohibitos, cum ibi jurisdictionem non habeat? Ergo idem dicendum est etiamsi libri sint prohibiti per specialia statuta utriusque regni. Probatur consequentia, quia persona quæ versatur in Lusitania, pro tunc tenetur servare statuta et consuetudines loci, neque pro tunc in hoc subditur senatui alterius regni; ergo privilegium in alio regno obtentum non potest in alio valere, vel aliquid operari. Tandem Lusitanus, dum in Castella versatur, potest legere ibi libros prohibitos in suo regno, si ibi prohibiti non sint; et ibi prohibitos poterit legere de licentia senatus illius regni; et idem, e contrario, dicendum est de Castellano vel Gallo dum versatur in Lusitania; ergo signum est tunc debere conformari moribus et statutis regni, et consequenter non posse ibi uti privilegiis specialibus alterius territorii.*

9.  *Infertur secundo: actus pendentes a voluntate principis alieni territorii quomodo faciendi. — Secundo, infero idem dicendum esse de hujusmodi particulari privilegio quoad actus qui in alieno territorio pendent a voluntate principis, ut licite fiant, etiamsi absolute prohibiti non sint, ut, licet clericus habeat*